precursores qui preibant per quemdam timorosum locum. muros securiter ascenderunt turbam venientem retro prope credentes adesse. Excitatis igitur castellanis cum vidissent illos stantes super muros et aspicerent regionem de foris vacuam inimicis insurrexerunt adversus eos et cum fuisset bellum mirabile super muros sexaginta bellantibus cum quinque milibus obtinuerunt plures licet ex ipsis plures fuissent mortui et graviter vulnerati. novissime mortui sunt et ipsi preter decem qui de muris fortuitu cadentes recuperantes vitam quasi iam perditam evaserunt. forte quod ob aliqua precedentia sua bona opera pro parentum ~~super~~ animabus ne simul cum corporibus deperirent voluit omnipotens misereri. O quam mira pietas! o quam tristis aspectus mulierum exeuntium